

cor meum et ex ea aestuabat affectus pietatis et currebant laerymae et bene mihi erat cum eis» (IX, 6).

Perlibenti igitur voluntate sacra sollemnia, quae in cathedrali templo Sancti Stephani proxime peragentur, Nostra commendatione et favore prosequimur. Minime vero dubitamus, quin boni isti fideles, aucto pietatis ardore et veluti viribus animorum renovatis, Domum Dei sint accessuri, eiusque superna gratia refecti ac roborati, in vita domestica et civili divina praecepta fideliter exsecuturi. Quo autem festus dies maiores salutis fructus populo tuo afferre queat, tibi ultro facultatem tribuimus, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae condicionibus lucrandam. Quorum quidem donorum caelestium in auspiciis inque peculiaris Nostrae caritatis pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, cunctoque clero ac populo tibi concredito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Decembris, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. V., anno MDCCCXXXVIII Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

III

AD REVMUM D. LAURENTIUM PEROSI, ANTISTITEM URBANUM, QUINQUAGESIMUM ANNUM MAGISTERII CHORI XYSTINI A SUMMO PONTIFICE LEONE XIII EIDEM CREDITI EXPLETURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Agnovimus perlibenter, te proxime quinquagesimum esse expleturum annum, ex quo Leo XIII immortalis memoriae tibi magisterium insignis Chori Xystini concredere benigne voluit. Haec enim faustitas perquam grata erit quum tibi, tum omnibus, qui eximiam tuam artis musicae peritiam iucunda admiratione prosequuntur. Nota profecto sunt magnifica illa musicorum modorum documenta, quibus ipse, mysteriorum Fidei studiosus atque sagax interpres, cunctos piorum fidelium sensus et affectus, modo vehementi modo blando concentus notarumque modulamine fideliter reddidisti; ita ut melodiarum tuarum auditores non modo ad rerum divinarum contemplationem fortiter excitentur, verum ad impulsus quoque supernae gratiae excipiendos animo suaviter commoveantur. Tibi igitur, Dilecte Fili, de laeta faustitiae ex corde gratulamur et felicissima quaeque

ac saluberrima a Deo ominamur. Quorum quidem donorum conciliatrix peculiarisque Nostri amoris testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Dilecte Fili, tuisque cantoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xv mensis Decembris, anno **MDCCCCXXxvni**, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. IOANNEM T. MC NICHOLAS, ARCHIEPISCOPUM CINCINNATENSEM AC PRAESIDEM CONSILII ((NATIONAL CATHOLIC WELFARE CONFERENCE)) : OB AUXILIUM COMMORANTIBUS ALIISQUE MISERIS AB IPSO CONSILIO PROVIDE PRAESTITUM,

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — In fratres caritas, quae ut inter christifideles semper vigeat hortatur Apostolus,¹ in eo potissimum consistit ut, quos Deus nobis terrestres peregrinationis comites dedit, ex animo diligamus, iisdemque indigentibus opem, moerentibus levamen pro viribus praebeamus, post mortale aevum immensi ponderis hereditatem exspectantes, quae solis misericordiis est promissa.

Hac praeclsa virtute vos in exemplum florere tu atque ceteri Sacri Pastores Foederatarum Civitatum Americae tum crebris indiciis, tum rebus praeclare gestis demonstrastis, maxime auxiliari novo ac provido excitato Consilio, cui ipse dignissime praees. Hoc quidem anteeunte, vos ad exsulum afflictis fortunis succurrendum actuosas curas egisse edocti sumus, indeque multum excepimus solatii tot inter sollicitudines et acerbitates, quibus nunc temporis praeter modum affligimur et moeremus. Itaque hasce voluimus vobis scribere Litteras, ut vos de operosa et vigilantia caritate iustis laudibus exornemus et extollamus.

Novistis siquidem quam anxii cogitationibus et curis Nos eos prosequamur, qui, rebus publicis in patria subversis, aut operis victusque inopia pressi, domesticos relinquere lares et ad exterarum gentes suas sedes transferre coacti sunt. Quibus ut pateant commigrandi viae, haud minus in humanum genus pietas quam naturae ius ipsum suadet. Rerum enim universarum Creator praecipue in bonum omnium bona omnia condidit: itaque singularum Civitatum dominium, quantumvis verendum, non debet adeo produci, ut, cum copiam multos alendi ubivis prae-

¹ *Bebr.*, XIII, 1.